

Foreign Language Fair 2016
April 2, 2016
Latin Translation
Level 1

On his voyage home from Troy, Odysseus (*Ulixēs*) comes to the island of Circe

Ulixēs, dum ab urbe Trōiā domum nāvigat, ad īnsulam venit ignōtam. comitēs iubet in lītore manēre, sed ipse collem ascendit. ubi ad summum collem advenit, fūmum videt in caelum surgentem, ad navem redit et aliōs comitum iubet prope nāvem manēre, aliōs in īnsulam mittit; 'in īnsulam festīnāte,' inquit. 'quis hīc habitat? cognōscere cupiō.'

illī in īnsulam festīnant et tandem casam in silvā vident. ubi ad casam accēdunt, multōs lupōs multōsque leōnēs prope casam vident. valdē timent. mox fēminam audiunt canentem. ubi clamant, Circē ē iānuā casae exit eōsque in casam vocat. ūnus sōlus extrā manet, quod perīculum timet; cēterōs Circē in casam dūcit et 'sedēte,' inquit, 'et cēnāte.'

sed mala venēna cibō miscet. ubi cibum edunt, statim suēs (*pigs*) fiunt. deinde Circē eōs in stabulum (*pigsty*) suum pellit iubetque in terrā iacēre.